

Matth. 12. Ait illi Iesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.

Num. 38. Hoc est maximum, & primum mandatum.

VERSIONES.

Syriac. n. 37. Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua, & ex tota mente tua.

Deuter. 6. n. 5. In tota fortitudine tua.

Aethyopicus. Ex tota virtute tua, & ex tota potentia tua, quae tibi est.

Persicus. Ex tota nimietate mentis tuae.

Arias. In tota cogitatione tua.

Orig. hom. 23. Ex totis viribus tuis.

D. Greg. Nyss. Ex facultate viarum tuarum.

Caiet. n. 37. Hoc est magnum, & primum.

Syriacus. Istud est praecipuum maximum.

Arabicus. Hoc est mandatorum primum maximum.

ALTER TEXTVS.

Marc. 12. Iesus autem respondit ei: quia primum omnium mandatum est: Audi Israel, Dominus Deus vnus est.

Num. 30. Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Caetera vt Matthaeus.

EXPOSITIO II.

DILIGES. Futurum est indicatiui more Hebraico pro imperatiuo. Dilige. Vel dicitur, Diliget de futuro, quia quemcumque amorem de praesenti erga Deum habeas, semper vt paruus reputandus, & maior procurandus. Modus diligendi Deum est diligere sine modo, ait Bernardus tract. de diligendo Deo, Dominum Deum tuum. Amoris enim causa assignatur. Cum dicitur, Dominus, denotatur amore dignus ex propria natura. Cum Deus tuus dicitur ex collatis donis, ac beneficiis diligendus proponitur, ita vt non solum amari, sed etiam redamari a nobis postulet. Ex toto corde tuo. Theophylactus, Haymon, Carthusianus, & alij sic explicant. Ex tota voluntate tua. Ex tota anima tua. Hoc est ex toto tuo appetitu. Ex tota mente, ex tota tua vi intelligendi applicata ad ipsum Deum. Ex tota fortitudine. Ex tota tua vi executiua. D. Anselmus hoc loco sic interpretatur, ex toto corde, id est

24.

Bernard.

Theophyl. Haymon. Carthuf.

Anselm.

intellectu; ex tota anima, id est ex tota voluntate. Ex tota mente, hoc est memoria. Alij, vt Bellarminus tom. 1. lib. 2. de Monach. cap. 13. haec verba: Ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute, ex totis viribus, ex tota fortitudine; idem vnum dicunt significare quod multis modis explicatur, vt denotetur, quod Deus a nobis multis modis sit diligendus. Victor Antioch. in cap. 16. Marc. num. 32. Homo, ait, tanto Dei amore flagrare debet, vt nihil profusus in vllam animam facultatem irreperere sinat, quod suam erga Deum dilectionem excludat, aut diminuat, aut alio transferat: sed in omnibus illi soli magis, magisque assidue placere satagat; nec alteri persona, aut rei create, nisi propter Deum.

Hoc est maximum, & primum. Syriacus, & Arabicus legunt, maximum, hoc est, praecipuum, quia Deus imprimis, ac praeter caeteris illud requirit, quia etiam dignitate, ac perfectione caeteris est excellentius; charitas enim maior omnium virtutum est, 1. Corinth. 13. Charitas enim excellentior est religione; maius est enim diligere Deum ex toto corde, quam eidem offerre sacrificia, charitas vt regina imperat actus religionis, omniumque aliarum virtutum. Dicitur etiam primum, quia secundum seculum habet annexum, a quo diuelli non potest.

Bellarm.

Antiochi

25.

Syriacus. Arabicus.

1. Cor. 13.

QVAESTIO V.

Quare Dei dilectio ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima commendatur?

VM mandatur, vt diligas Deum ex toto corde tuo, in tota anima tua, in tota mente tua, hoc est vt summopere, ac omnibus viribus tuis diligas Deum, quod tripliciter explicatur communiter a Theologis comparatiue, finaliter, & appetitiue.

Primo. Comparatiue. Vt nullam scilicet partem tui amoris des alicui alteri rei, Deo repugnanti, ac proinde totus amor integer constituendus est in Deum, minimeque inter ipsum, ac creaturas diuidendus. Deuter. 6. num. 5. Ex toto corde tuo. Theodoret. 16. quaest. 3. Hoc loco, ait, docemur, non scindere dilectionem. Psalm. 9. num. 1. Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Theodor. ibi: Qui enim partitur cogitationes in mammonam, & Deum, non potest dicere: Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Non enim pleno affectu Deum colit. Vide supra cap. 22. n. 40. 41. 42. & cap. 33. n. 29. 30. 31. 32.

Secundo. Finaliter. Vt toto affectu velit homo Deum esse finem totum, & vltimum omnium suarum cogitationum. Ita vt ipsum vt summum bonum, ac finem vltimum, omnibus rebus praerferat, & anteponat. D. Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana cap. 22. Diliges Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, vt omnes, ait, cogitationes tuas, & omnem vitam tuam, & omnem intellectum, in illum conferas, a quo habes ea, quae confers. Vide sup. cap. 13. n. 5. 4. & cap. 16. n. 84. 85. & cap. 34. n. 22.

Tertio. Appetitiue. Vt nihil comparatione Dei aestimes, sed pro Deo omnia paruipendas, ac proinde vt totum cor, & voluntatem illi applices, vt tota mente, & anima eius praepcepta adimpleas, nihilque aliud appetas, & desideres, nisi tantum ipsum Deum. D. Augustinus in Manuali, cap. 20. Anima, qua Deum amat, nihil potest aliud cogitare, nihil aliud velle, nihil aliud loqui, nisi solum Deum.

26.

Tripliciter Deus summo diligendus.

27.

Amor Dei non diuidendus.

Deuter. 6. Theodor. Palm. 9.

28.

In Deum omnia nostra referenda.

August.

29.

Qui vult amari solum Deum appetit, & desiderat.

August.

Chrysof. Procopius. D. Thom. Vaabl.

30.

Iosue 2.

Luc. 7.

Virtus amor in solo Deo operatur.

Chrysof.

31.

Matth.

32.

August.

Virtus etiam in malo subiecto in pretio.

Deum. Vidit Isaias 6. num. 3. Quod Seraphim; duabus velabant facies suas. Vt ex Hebraeo textu legunt D. Chrysofomus homil. 4. in Isaiam. Procopius, D. Thomas, Vatablus, & alij, Seraphim spiritus diuini amoris pleni, & obuoluto amant vultu, sic feruente amant Deum, vt nihil aliud praeter ipsum velint intueri, cognoscere, ac contemplari.

Consideranda sunt duae valde celebres mulieres peccatrices ad Deum accedentes. Rahab vna, & altera Magdalena; vt valde diuersimode ad Dominum deuenientes. Rahab Deum populi Israelitici venerata, exploratores in domo sua excipit, ab illis iuramentum pro custodia, ac tutamine suae salutis exposcit. Iurate mihi per Dominum, vt quomodo ego misericordiam feci vobiscum, ita & vos faciatis cum domo patris mei. Iosue 2. n. 12. At verò Magdalena vt cognouit quod Iesus accumberet in domo Simonis; & stans retro secus pedes eius, lacrymis cepit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & unguento ungebat. Luc. 7. num. 38. Et nec verbum pro se loquitur, nec quicquam petit. Cur illa pro semetipsa tanta loquitur, haec verò nulla? Cur illa tota in preces se diffundit, haec verò ab illis abstinere? Rahab tota erat plena timoris. Irruit terror vester in nos, & elanguerunt omnes habitatores terrae. Et ideo pro tutamine suae vitae valde sollicita multa loquebatur. Magdalena verò feruida Dei dilectrix. Dilixit multum. Et inde nihil petit, nam cum ipsa multum diligeret, nihil aliud nisi Domini pedes desiderabat, ergo cum optatis esset potita, nil aliud meminit, nec postulat.

D. Chrysofomus serm. de peccatrice, & Pharisaeo, qui inter opera D. Ephrem habetur. Rahab, ait, ad se admisit exploratores: ego vero retinere eum conor, quem desiderauis, non quidem, vt illa exploratores multos, sed hunc tanquam Episcopum omnium animarum. Vide supra cap. 27. n. 198. 199. & 200.

QVAESTIO VI.

Quare Christus Dominus tam mansuetus, ac affabiliter agit cum hoc Doctore, cum antea valde seuerus se habuisset cum Pharisaeis, ac Herodianis?

IN hoc cap. 22. n. 16. narrat D. Matthaeus, vt superiori cap. explicauimus. Quomodo Discipuli Pharisaeorum cum Herodianis ad Christum accesserunt quaerentes ab eo; Licet censum dare Caesari, an non? Christus Dominus valde rigide in eos animaduertit, dicens illis, quid me tentatis hypocrite? At verò hic Doctor quamuis etiam aduenisset tentans eum, vt scribit D. Matth. nullum tamen verbum asperum ab ore Christi audit.

Ratio discriminis est manifesta; nam Pharisaei, ac Herodiani malo animo, sinistraque mente aduenerunt, illoque etiam pariter recesserunt; At hic Doctor, vel vir bonus erat, vt vult D. August. vel licet praua intentione se contulit ad Christum, tamen eius colloquio proficit, ac emendatus euasit. Illum Christus laudauit dicens: Non es longe a regno Dei, apud Marcum; vt dixi in prima expositione n. 3. Hic Doctor veniens tentans conuertitur, non verò illi alij; hic de lege,

quod est mandatum magnum in lege? Et hoc quod est agere de opere bono, quamuis aliunde mala intentione vitietur, semper in bonum cedit, & aliquid utilitatis vestigium post se relinquit, quod Deus etiam aliquando respicere videtur.

Ex corpore cuiusdam hominis clamant Daemones ad Christum. Quid mihi, & tibi est Iesu filij Dei altissimi? Luca 8. n. 28. & statim rogabant eum, vt permitteret eis in gregem porcorum ingredi, quod Christus permisit illis. Ibidem n. 32. valde mirum, annuit Dominus Daemonum petitioni. Tertullianus lib. 4. aduersus Marcion. c. 20. Impetrauerunt, ait, quo merito? quia mentiti non erant, quia Deum abyssis, & suum cognouerant. Diabolus fatetur Christum esse Dei filium; filij Dei altissimi; fateturque eius potestatem: Ne me torqueas. Postulabat Diabolus mala, & sinistra intentione, vt abiret in gregem porcorum, tamen cum vnam veritatem protulerit, quae multo in pretio est Deo, inde ipse ei permisit, quod petebat. Impetrarunt, quo merito? Quia mentiti non erant.

33.

Luc. 8.

Tertull. Merito ueritatis impetrant.

Matthaei 22. Secundum autem simile huic: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.

Num. 40. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetarum.

VERSIONES.

Syriacus n. 39. Et secundum simile est ei: diliges proximum tuum, sicut animam tuam.

Vatablus. Diliges proximum tuum perinde, atque te ipsum.

Syriacus n. 40. Ab istis duobus praepceptis pendet lex, & Prophetarum.

ALTER TEXTVS.

Marc. 12. n. 31. Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tanquam te ipsum: maius horum aliud mandatum non est.

Num. 32. Et ait illi Scriba: bene Magister, in veritate dixisti, quia vnus est Deus, & non est alius praeter eum.

Num. 33. Et vt diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere proximum tanquam se ipsum: maius est omnibus holocaustibus, & sacrificiis.

Num. 34. Iesus autem videns, quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es longe a regno Dei.

EXPOS

EXPOSITIO III.

34. **Abulca.** **ECVNDVM** autem simile huic. Præceptum de dilectione proximi secundum appellatur, non quia secundum sit in numero Decalogi, sed quia, ut ait Abulensis q. 277. dignitate, ac perfectione secundum est post Dei dilectionem. Ab eodem enim charitatis habitu procedit amor Dei, & proximi. Primum ergo mandatum, & maximum excellentia, & perfectione est præceptum de diligendo Deum, secundum de dilectione proximi, valde tamen inferius, & impar. *Simile huic.* Non dicitur æquale; sed simile, quia post Deum inter omnes res creatas præ omnibus diligendus est proximus affectu, actibus, & officiis: & ut etiam denotetur, ut obseruat D. Chrysoftomus, quod vnum mandatum ab altero dependeat, & quod vnum sine altero non possit obseruari, ne quis sibi persuadeat, quod dilecto Deo possit securè contemnere proximos, amor enim proximi ab amore Dei procedit.

35. **D. Thom. August.** *Diliges proximum.* Proximi autem sunt omnes homines secundum naturalem Dei imaginem, & secundum capacitatem gloriæ, ut docet D. Thomas 2.2. quæst. 44. art. 7. & ait D. Augustinus epistola 52. ad Macedonium. *Proximus, ait, non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est, in qua socij sunt omnes homines.* Modus dilectionis indicatur: *sicut te ipsum.* Syriacus legit: *sicut animam tuam.* Illud sicut, ut aduertit D. Thomas citato loco, non denotat aequalitatem, sed similitudinem, id est simili modo, quo te ipsum diligis, ad exemplum, & formam dilectionis tui, ut quemadmodum te ipsum diligis verè, & sincere, bonum tibi volendo, ac procurando, malum verò nolendo, & auertendo propter tuum ipsum bonum, simili & modo te debes erga tuum proximum exhibere. D. Augustinus lib. de vera Relig. cap. 46. *Ea est enim regula dilectionis, ut qua homo vult sibi bona prouenire, & proximo velit: & qua accidere mala non vult, & illi nolit.* Et nota. Quod cum dicitur, *sicut te ipsum*, non præmittitur sui ipsius amor, sed præsupponitur. Ut etiam docet idem D. Augustin. lib. 1. de Doctrina Christiana. cap. 27. *Non est hic, ait, tui dilectio prætermissa: dicitur enim ut diligas proximum sicut te ipsum.* Ac proinde primo loco diligendus est Deus; secundo propria persona. Tertio, proximus ad instar tui diligendus.

36. **August. Rom. 13.** *In his duobus mandatis.* Non in vno tantum. *Vniuersa lex pendet, & Propheta:* hoc est, omnis doctrina legis, & Prophetarum in his duobus mandatis de dilectione Dei, & proximi summam continetur, in hisque fulcitur, & nititur, ab illisque tanquam ædificium quoddam à suo fundamento dependet. Nam tria præcepta primæ tabulæ ad Dei dilectionem spectant, septem verò secundæ tabulæ ad proximi amorem pertinent. D. Augustinus lib. 8. de Trinit. cap. 7. *Quamobrem Rom. 13. num. 9. dicitur. Qui diligit proximum, legem impleuit. Nam non aduherabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Et ad hæc duo mandata dilectionis Dei, & proximi referuntur præcepta aliarum virtutum siue naturalium, siue supernaturalium. Addit etiam Origenes in Catena. *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Propheta, ut*

intelligat omnem legem, & prophetas. Bene affectus legem rationi consentaneam, virtuti congruam, Deo dignam intelligit. Vide suprâ c. 8. num. 252.

37. Marc. Iuxta Marcum. Scriba Christo ait. *Bene Magister in veritate dixisti.* Laudat responsum Christi, ut sapienter dictum, quia vnus est Deus, ac proinde vnico amore super omnia diligendus: *Magnus est omnibus sacrificiis.* De quo eo tempore erat controuersia, ut dixi in 1. expositione. Christus dixit illi, *non es longè à regno Dei:* quia agnouerat, quæ facienda erant ad vitæ æternam assequendam, quæ per obseruationem mandatorum dilectionis Dei, & proximi comparatur.

QUESTIO VII.

Quare cum Doctor interrogauerit de primo mandato. Non solum Christus de illo respondit, sed etiam secundum appositum?

38. Antioch. **DOCTOR** interrogauit de mandato legis maximo. *Magister quod est mandatum magnum?* quod Christus Dominus de dilectione Dei explicauit, & appositum secundum mandatum de dilectione proximi; quia ut ait Vist. Antioch. in Marc. quia hoc secundum à primo diuelli non potest. Ratio enim diligendi proximum, est dilectio Dei, proximum diligimus propter Deum, & nemo potest perfecte diligere Deum, quin etiam diligat proximum, qui ad imaginem, & similitudinem Dei factus est, nam ut ait D. Chrysoftom. Euthym. Carthusian. Hugo, sicut rex in sua imagine honoratur, sic & Deus in homine.

Tribus accedentibus viris peregrinis occurrit Abrahamus, & adorauit in terram. Et dixit: *Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transfeas seruum tuum.* Genes. 18. num. 3. Ecce tres videt iuuenes peregrinos, tres adorat, & tamen cum tribus, quasi cum vno loquitur. *Domine si inueni gratiam in oculis tuis.* Vnique vult dare obsequium. *Ne transfeas seruum tuum.* Tres homines videbat, cum tribus agebat, tresque volebat hospitio excipere, cur ergo non pluraliter, sed tanquam cum vno loquitur. Et si tres videret, ac tres putaret, tamen quasi cum vno loquitur, quia in tribus illis vnam Dei imaginem cognoscebat, quam adorabat, ac venerabatur, ac proinde tanquam cum vna Dei imagine agebat, ac loquebatur. D. Augustinus, lib. 16. de Ciuit. cap. 29. *Multo est credibilis, ait, quod Abraham in tribus viris Dominum agnoscebat, cui per singularem numerum loquebatur, etiam cum eos homines esse arbitraretur.*

40. Psal. 83. **Ait Regius Vates.** *Videbitur Deus Deorum in Sion.* Psal. 83. num. 8. Quod multi Patres Graeci intelligunt de tempore, quo Dei filius factus homo apparuit in terris. Et non ait, Deus hominum sed Deus Deorum, quia sic Deus degebat inter homines, ut eos tanquam Deos æstimaret, cum in ipsis Dei imago nitetur, & resplenderet, ut inde fiat homini documentum ne detractet quasi Deum habere proximum suum, quem ad Dei imaginem creatum recognoscit D. August. lib. contra Aduersarium legis. *Apparuit Deus Deorum in Sion. Deus Deorum, Christus*

stus Christianorum. De quibus dicitur in Psalmo: Ego dixi Dy estis, quibus & Dei imago insculpta est.

QUESTIO VIII.

Quare post Dei amorem, statim subiungitur amor proximi?

41. August. **POSTquam** autem explicatum est à Christo Domino magnum mandatum de diligendo Deum, addidit, *Secundum simile huic, diliges proximum tuum*, quia ex vera dilectione Dei provenit amor proximi, neque enim verè diligere Deum possumus, nisi etiam & proximum diligamus. Vnde, ait D. Augustinus lib. 8. de Trinit. cap. 7. *Quod hæc duo præcepta, dilectio Dei, & proximi sic se mutuo includunt, ut non immerito plerumque Scriptura pro utroque vnum ponit.* Sic hæc duo præcepta inter se sunt connexa, & seque mutuo respiciunt.

42. Exod. 35. Mandauit Deus Moyfi facere duos Cherubim aureos, qui & vtrumque latus propitiatorij tegant, expandentes alas, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium, Exod. 25. num. 20. Si eo pacto constituantur Spiritus Angelici, ut versos vultus habeant in oraculum, cur se mutuo respiciere debent? Si propter propitiatorium facti sunt, cur non ipsum propitiatorium respiciunt? Aperte vultus habent versos inter se, imò prius se ipsos respiciunt, quam propitiatorium, quin nisi nos mutua dilectione, ac charitate respiciamus, in Deum oculos fingere non valemus. Petrus Abbas 1. part. Taber. *Breui clausula, ait, concludit quomodo Angelica potestates se in Deo diligant, dicens se mutuo respiciunt, & quomodo Deum in se magnificè subiungens, versis vultibus in propitiatorium, qui se se mutuo non respiciunt, quia qui proximum non respiciunt, quem videt, non diligit; Deum, quem non videt, quomodo diligere potest? In mutuo respectu fraternas dilectio, in verso vultu in propitiatorium, humilis reuerentia ad creatorem nostrum intelligitur.*

43. Reg. 2. Magni Elisæus à Magistro suo, ac Parente nostro duplicem spiritum postulat, nimirum Spiritus sancti donum in eo inhabitans. *Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus, 4. Regum 2. num. 9.* Cur spiritum Eliæ duplicem vocat? Fortitan Eliæ spiritus erat ex duobus compositus? Imò valde simplex erat diuinus Spiritus habitans in Eliæ; cur ergo duplex vocatur? Cum esset diuinus Spiritus in suis operibus respiciebat Deum, & proximum, non erat vnicus, & solitarius spiritus in Deum tantum intentus, sed sic summè amabat Deum, ut inde ad proximos intimè diligendos se extenderet. Galfridus apud Tilmanum in Allegor. *Ab Elisæo, ait, duplex, quem Elias habuerat, postulatur spiritus, non quia in se ipso diuisus est spiritus, sed quia in munere suo, vel opere duplicatur. Vnus est enim spiritus, per quem charitas diffunditur, ea tamen in amorem Dei, & proximi deriuatur; nec adesse credendus est vnicus ille spiritus, ubi duplex non inuenitur effectus. Cum enim in se ipso sit simplex, in nobis nunquam poterit fieri nisi duplex.*

44. Apoc. 12. Mulier apparet in cælo amicta Sole, ante quam stat Draco ad deuorandum filium eius. *Data sunt mulieri ala due aquila magne, ut volaret in desertum, Apocal. 12. num. 14.* Dæ illæ alæ duo *Sylueta in Enang. Tom. IV.*

sunt præcepta charitatis Dei, & proximi, ut interpretatur Philippus Abbas lib. de silentio Clericorum cap. 106. *Ala bina, ait, dilectio duplex accipitur, quæ Deus, & proximus iuxta regulam præscriptam diligitur, cum scilicet anima Deo soli ardet specialius adhaerere, & eandem gratiam suam desiderat proximum obtinere.* Addubito tamen cur huiusmodi alæ dicuntur aquilæ, & non potiùs columbæ, vel tarturis? Certum est quod inter cæteras aues aquila velocissimo volatu aëra conscendat, ut ex hoc significetur, quod ille, qui his duabus alijs amoris Dei, & proximi volat perpeti volatu super cæteros ad alta, & sublimia penetrabit, & conscendat.

QUESTIO IX.

Quare secundum mandatum de dilectione proximi dicitur simile primo?

45. Abulens. **Ratio** est, quia sicut Deus diligendus est super omnia, sic & proximus post Deum inter cæteras res creatas præ omnibus diligendus est, ut dixi in expositione. Deinde etiam ut ait Abulensis quæst. 278. dicitur secundum simile primo non æquale, ut iam dixi quia vtrumque mandatum est de dilectione, & uterque actus iuxta Theologos procedit ab eodem habitu, & tendit ad idem obiectum, scilicet Deum; nam quia diligo Deum, diligo & proximum, ut opus ipsius Dei. Vnde ait Chrysoftomus in Imperfecto homil. 42. *Non potest hominem odire qui Deum amat: nec potest Deum amare, qui hominem odit.* Sicut ait Ioannes Apostolus: *Qui dicit se Deum diligere, fratrem autem non diligit, mentitur, 1. Ioan. 4. num. 20.*

Inter cæteros Domini discipulos, qui maximè fratertam charitatem commendauit, Ioannes exiit Apostolus, cuius epistolæ, imò & singulæ earum literæ fratertam dilectionem aspirant, & de eo refert D. Hieronymus commentar. in epistol. ad Galat. cap. 6. *Nihil aliud per singulas solebat proferre collectas nisi hoc: filioli, diligite alterutrum.* Vnde tamen natum est, quod hic Christi discipulus plus omnibus se exhiberit erga proximos in charitate tam feruidum, nisi quia & ipse plus omnibus ostendebatur ab ipso Deo dilectus? *Discipulus ille, quem diligebat Iesus, 1. Ioan. 21. num. 20.* Ex illo diuino amore infundebatur amor in Ioanne, mira scilicet charitas in proximos, & fratres suos, ut ait Petrus Damianus ferm. de S. Ioanne: *Vnde, ait, diuinus illi concessum est, ut tanta cor etiam circa fratres charitatis gratia repleteretur, ut sacrosanctum pectoris eius templum, velut caminus quidam diuini videretur incendij. Et post pauca subdit, ut mirum plus amaret, qui plus amabatur, & qui primus erat in redemptoris amore, præcipuus in fratertam fieret charitate. Semper diuina charitas gaudet hac sua consorte charitate scilicet in proximos.*

Sine hac autem charitate in proximos quilibet est vacuus, & infructuosus in Ecclesia Dei, ac eius obsequio. Ad Angelum Ephesi ait Dominus: *Prima opera fac. Sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, Apocalyp. 2. num. 6.* Prima opera, quæ in hoc ipso requirebantur, erant charitatis opera erga fratrum salutem, sic enim antea ibi dicitur: *Charitatem*